

lebat aliquid adversus latentem morbum, nisi tua medicina, Domine, vigilaret super nos? Absente patre, et matre, et nutritoribus, tu praesens, qui creasti, qui vocas, qui etiam per praepositos homines boni aliquid agis ad animarum salutem, quid tunc egisti, Deus meus? Unde curasti? Unde sanasti? Nonne protulisti durum, et acutum ex altera anima convicium, tanquam medicinale ferrum ex occultis provisionibus tuis, et uno ictu putredinem illam praecidisti? Ancilla enim, cum qua solebat accedere ad cupam, litigans cum domina minore, ut sit, sola cum sola, objecit hoc crimen amarissima insultatione, vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit foeditatem suam, confestimque damnavit, atque exiit. Sicut amici adulantes pervertunt, sic inimici litigantes plerumque corrigunt. Nec tu, quod per eos agis, sed quod ipsi voluerunt, retribues eis. Illa enim irata, exagitare appetivit minorem dominam, non sanare, et ideo clanculo; aut quia ita eas invenerat locus, et tempus litis; aut ne forte et ipsa periclitaretur, quod tam sero prodidisset. At tu, Domine, rector coelitem et terrenorum, ad usus tuos contorquens profunda torrentis, et fluxum seculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animae insaniam sanasti alteram, ne quisquam, cum hoc advertit, potentiae suae tribuat, si verbo ejus alius corrigatur, quem vult corrigi.

CAP. IX. MONICA QUALIS ERGA MARITUM.

Educata itaque pudice ac sobrie, potiusque a te subdita parentibus, quam a parentibus tibi, ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro, servivit veluti Domino, et satagit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, et reverenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet unquam simultatem. Exspectabat enim misericordia tua super eum, ut in te credens castificaretur. Erat vero ille praeterea sicut